



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De Syluanis, Faunis, & similibus. Cap. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**

brarum etiam cum Platone statuerunt: cū tamen, ex sententia eius, omnes debeant censi boni; deprauationem autem Angelorum, & permutationem ex Angelis lucis in Angelos tenebrarum, solo superno lumine cognoscamus. Hinc in 2. de R. P. asseruit, Dæmonum naturam esse sine mendacio; nec nos decipere, vel fallere.

*De Syluanis, Faunis, & similibus.*

CAP. IX.

**R**equenter apud priscos, recētioresque auctores de Faunis, Nymphis, Dryadis, Syluanis, Satyris, Panibus, Manibus, Laribus, Lemuribus, Laruis, Fatuis, Incubis, Succubis, Pygmæisque fit mentio. Georgius quoque Agricola in calce libri de Animantibus subterraneis inquit: Subterraneorum animantium haberi possunt Dæmones, qui in quibusdam fodinis versantur: quorum duplex est genus: vnum truculentum, & aspectu terribile; quod plerunque metallicis infestum, inimicumque est: Alterum mite, &c. De his sententiæ sunt variæ. Quidam censent, eos esse homines, qui vel ingenio valeant, vel furore sint correpti, vel atræ bilis spiritu elati. Alij, plura eorum esse naturæ monstra, vel Poetarum commenta. Proculdubio difficile est de Dæmonibus certi aliquid humana ratione inuentum enunciare; quod etiam ipsemet Plato in Epinomi-



de, agens de Dæmonibus confitetur: inquit enim; Scire quisque debet, mortali naturæ nō esse possibile, certi quicquam de Dæmonibus cognoscere. Vt tamen aliquid Academicorum doctrinæ consentaneum, & probabile proferamus; dicendum censeo: Nemini inficias esse eundem, plurima, quæ de his apud varios auctores leguntur, vel esse fabulas; vel inanes apparitiones, siue imaginationes; vel cum fabulis, & fictionibus maximè esse permixtas; at non ita esse fabulas, vt etiam aliquid veri nō includant. Quod de Pygmæorum genere dicitur, fabulam censeo: nō enim vsquam in terrarum orbe huiusmodi homunculorum genus est inuentum; quod ex sui natura, non autem per aliquam principiorum generationis deprauationem, tale sit. Incubos, & Suecubos censeo esse falsas imaginationes, & somnia dormientium hominū, ad libidinem procliuum: nō enim id mihi verisimile esse videtur, quod aiunt nonnulli; dari Dæmones, qui genitale semen emittāt, ex quo pusilla animalia oriuntur. Faunos, Syluanos, & similes, censeo esse Dæmones postremæ regionis incolas; vel rusticæ, vel piscatoriæ, vel pastoralis vitæ præsides: qui cum corpore vtantur densiore, etiam nonnunquam idipsum sponte coarctantes, sese nostris oculis offerunt. Sic veram censeo sententiam Maximi Tyrij; quod Dæmonum, quidam rustici, alij vrbani sint. Insuper Laruarum, Lemurum, & similium muneribus, censeo

seo



seo frequēter fungi Dēmones peregrinos; hominum scilicet animas corporea vita functas. Dēnum nonnulla ex dinumeratis, non Dēmones sunt: sed vel iumenta humanam formam præferentia, vel informes homines; a deo, vt non vna eorum omnium ratio sit. Sibyllas, ex horum numero esse non cenſeo: sed cum Theologis rectē ſentientibus affirmo, eas fuiſſe ſœminas prophetico ſpiritu repletas; cū Platone verò, fuiſſe ſœminas fatidicas, munere Dēmonum futura præſagientes.

*De nutritione Dæmonum.*

CAP. X.

**N**Utrius Dæmones Porphyrius, aliiq; nonnulli aſſeruere: quam ſententiã abſolutē falſam, in parte tamen veram exiſtimo. Quòd Dæmones facultate nutriente, caloreq; illo naturali viuentium ſint præditi, vt animalia terrena, falſum eſt: non enim os, epar, venæ, cæteraq; nutritionis inſtrumenta eis conueniunt; nec corde illius caloris fonte ſunt præditi. Eſt tamen vera in parte, & ſimilitudine quadam. Quatenus eorum corpora, per nonnullos halitus, & fumos læduntur; per alios reficiuntur, recteque diſponuntur: eorum nutritio ſimilis eſt nutritioni halituum, ſpongiarum, & ſimilium; dum imbibunt humida, vel alia ſibi conuenientia corpora. Inſuper ea Dæmonum eſt potiùs alteratio quædam, quàm verè nutri-

P